

heit: *Vesper*, *West*: *Vestis*, *Wäsche* / ut *weiße Wäsche* h. e. *indusia, col-
laria* seu *focalia*: *Veto*, *wehren* / i. e. *verbieten*: *Vimen*, *Viburnum*,
Weiden / *Wieden* / *Winde* / *convolvulus*: Sic *Volvo*, *Voluto*, *welken* /
Walze / *welck* / quæ enim *flaccescunt*, in se quasi *volvuntur*, *ver-*
schrumpffen / ut *fructus passî*, *uvæ*, *ficûs*, *pruna*, *cerasa* &c. *Viduus*, *a*,
Widwer / *Widwe*: *Vinco*, *Vincio*, *Winden* / *Binden*: *Vivo*, *Weben*:
Volo, *Voluptas*, *Will* / *Wollust*: *Voveo*, *wünschen*: *Urgeo*, *würgen*: *Vul-*
nus, *Wunde*: quibus possit addi *Viginti*, *wanzig* / & *plenius ac for-*
tius *zwanzig*.

Quod verò LUDOVICOS Imperatores attinet, in numero eorum planè non conveniunt scriptores: alij numerant *quinq;*, alij *quatuor*. Quibus enim LUDOVICUS BAVARUS, vexatissimus ille Imperatorum Romanorum, QUARTUS dicitur, *uti commu-*
niter dicitur, non possunt nisi *quatuor* statuere. Et sanè *Ludovi-*
cum Balbum non numerat *Georgius Sabinus*, neq; *Reusnerus* in *Sym-*
bolis Impp. & *Rupertus* in *Observat. in Synopsis Besoldi minor. c. XVII*,
ex *Petavio* dicit falsos esse eos, qui hunc Ludovicum inter Impp. numerârunt, quum à *Johanne Pontifice* non imperatoria, sed re-
gia tantùm corona illi fuerit imposita, cumq; voluisset Pontifex eum etiam Imperatorem coronare, à Romanis coactum fuisse ait, ut *Urbe* excederet. Idem dicit laudatus *Rupertus* de *Ludovico Ar-*
nulphi Filio, Regem saltem Germaniæ fuisse, non Imperatorem, in-
que ejus rei fidem multos antiquos Historicos allegat: *Ludovicum*
verò *Bosonis & Irmengardis Fil.* Imperij insignia accepisse, quam-
quam à Pontifice parum legitimo. Primus autem LUDOVICUS fuit *CAROLI M.* ex *Hildegardi Suevâ Fil.* cognomen quidem *Pij*
& *Benigni* abstulit, felicitatem tamen constantem & perpetuam, per filiorum scelera retinere non potuit, ad quod digitum inten-
dit *Puteanus*, quum ita scribit: "Majorem hunc posteritas Regem"
diceret, si tam felix pater, quàm pius princeps fuisset: Obstiterunt"
"filij velut ad seditiones nati, non passi ad plenam gloriam opti-"
"mum clementissimumq; virum consenscere. Item *Brunnerus*:"

Ipsò